qui celebrabatur a iudaeis se occultaret et suum esse mysterium,
Hodierna ergo lectione apparuit potestas quae putabatur timiditas,
Loquebatur enim palam in die festo. ita ut mirarentur turbae et dicerent quod
audiuimus cum lectio legeretur, Nonne hic est quem quaerebant interfice
re et ecce palam loquitur et nihil ei dicunt. Numquid uere cognouerunt
principes. quia hic est xps. qui nouerant quanta saeuitia quaerebatur
mirabantur qua potentia non tenebatur, Deinde non plene intellegen
tes illius potentiam putauerunt esse principum scientiam. quod ipsi cogno
uerant et eundem esse xpm, Ideo pepercerunt ei quem tanto opere occi
dendum quaesierant, Deinde illi ipsi apud se ipsos quid dixerunt. Num quid cog
nouerunt principes quia hic est xps. fecerunt sibi quaestionem. quaerunde
ret non ipse esse xps, Adiungentes enim dixerunt, Sed istum nouimus unde
sit xps autem cum uenerit nemo scit unde sit, haec opinio apud iu
deos unde nata fuerit quod xps cum uenerit nemo scit unde sit. non
enim inaniter nata est, si consideremus scribturas. inuenimus fratres. quoniam
etiam scribturae dixerunt de xpo. quoniam nazareus uocabitur, ergo prae
dixerunt unde sit, Rursus si locum natiuitatis eius quaeramus. tamquam
inde sit ubi natus est. nec hoc latebat iudeos propter scribturas quae ista prae
dixerant, Nam cum eum uisa stella magi quaererent adorare uenerunt
ad herodem et dixerunt quid quaererent et quid uellent. Ille autem conuocatis
eis qui legem sciebant, quaesiuit ab eis ubi xps nasceretur, Illi dixerunt
in bethleem iudae. et testimonium etiam propheticum protulerunt, si ergo pro
phetae praedixerant et locum unde erat origo carnis eius. et locum ubi eum
peperit mater eius, unde nata est ista opinio apud iudeos. quam modo
audiuimus. xps cum uenerit nemo scit unde sit, nisi quia utrumque praedicauerant
et praenuntiauerant scribturae. secundum hominem praedixerunt scribturae, unde
esset, secundum deum latebat impios et quaerebat pios, ad hoc enim
et isti dixerunt. xps cum uenerit nemo scit unde sit quia hanc in illis
opinionem generauerat quod per esaiam dictum est generationem autem
eius quis enarrabit, Denique et ipse dominus ad utrumque eis respondit.
et quia nouerant eum unde esset. et quia non nouerant ut adtestaretur
prophetiae sanctae quae de illo ante praedicta est et secundum humanita
tem infirmitatis et secundum diuinitatem maiestatis, Audite
ergo uerbum domini fratres. uidete quemadmodum confirmauerit et quod
dixerunt. istum nouimus unde sit. et quod dixerunt xps cum uenerit nemo scit
unde sit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0059